Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Ecce cum venisset et appropinquasset domui audivit symphoniam et chorum. Et vocavit unum de servis et interrogavit quae haec essent. Ipse autem dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem et nolebat introire. Pater ergo illius egressus coepit rogare eum. At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi et nunquam mandatum tuum praeterivi et nunquam dedisti mihi hedum ut cum amicis meis epularer; sed postquam filius tuus hic qui devoravit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.

Dom. ad Ephes.

Ecce: Estote imitatores dei. Dom. IV. Ad Ephe-
sios. Sicut filii karissimi et ambulate in dilectione sicut Xpc
dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem
et hostiam deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem
et omnis immundicia aut avaritia nec nominetur in vobis
sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium
aut scurrilitas quae ad rem non pertinet, sed magis
gratiarum actio. Hoc autem scitote intelligentes, quod
omnis fornicator aut immundus aut avarus, quod
est idolorum servitus non habet hereditatem in regno Xpi
et dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter haec
enim venit ira dei in filios diffidentiae. Nolite ergo esse
participes eorum. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc
autem lux in domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus
enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate.